

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXII

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

Gefnerus ex amici fide digni relatu, quendam cum in Syriam navigaret, natantem juxta navem vidisse scribit, medium ab hoc pisce rostro discissum. Balænam exhorrescit, & eam conspiciatus, gladium suum in terram aut obvium quemcunque vadi locum impingendo, truncum ex se format. Balæna negligens præternat.

## CAPUT XXII.

DE QUIBUSDAM ALIIS  
piscium admirandis.

IN fodinis inveniuntur etiam pisces; præsertim si humida fuerint loca, imo etiam ubi nulla aqua. In multis Ponti locis animadvertit *Theophrastus*, in Paphlagonia *Eudoxus*, Orteranti ultra Albim *Agricola*. Ad Narbonem amnem planities est, per quam fluvii feruntur Iliberis & Roschinus, pisces fossiles in ea. Terra ibi tenuis, & multum nascitur graminis, sub quod altitudine duorum aut trium cubitorum aqua fluminum dilatata, fluit. Si quando inundaverint, planiciem subterraneis piscibus refertam efficiunt. *Polyb. in Hist.* Duo sunt illorum genera. Teretes nonnulli ut anguilla, verum pelle carent tenaci, squamis ut gobii; carnis duræ, nec gratæ gustui. Majores duos crassi digitos, digitum minores. Illi palmos longi quatuor, tres hi, sonum edunt acutum. Inclusos pharmacopolæ vitro suspendunt de trabe, & pane longo tempore alunt. Ex fluminibus interdum, quæ currunt in paludosis locis, egressi, per riparum venas penetrant in terram longius, in cellas interdum. *Theophrastus* scribit, in latebris propter sensuum nil sentire stuporem, donec ollæ injiciantur coquendi, sed effossos moveri. In flumine quodam Orientalis Indiæ pisces sunt *Tubarones* dicti, tam rabidi, ut cuidam nautæ supra aquam ad navis stanti latus, unus pedem primò, post manum morfu abstulerit. *Linschottan. In Navigat.* Incredible fere est quod idem memorat; navem nimirum ex Mozambi-

P I S C I U M. 429

zambique tendentem per quatuordecim dierum spacium, vento secundo, nil obtante, nil obtante, retrocessisse; idque ex altitudine Solis singulis diebus observata, animadvertum: Cumque auxilii navis causam inquirerent, & veneficia suspicarentur, piscem tandem sub navi inventum, quem navim in tergo, contra venti appulsum natando, portasse collegere. Hoc enim magna cum difficultate depulso, rectum statim tenere cursum. Historia in palatio Proregis Goani depicta, addito Naucleri, anni & mensis nomine. *Bleshenius in descriptione Islandia* scribit, in mari Islandico esse monstrum, nominis incogniti, sed Balenæ speciem iudicant. Cum caput ex mari ostendit, homines ita perterret, ut fere exanimati decidant. Caput quadratum habet, oculos flammeos, circumcirca nigris cornibus murum: Corpus nigrum & atris pennis obsitum est, si quando noctu conspicitur oculi igniti sunt, ut totum caput, quod ex mari exierit, illustret. *Olavus lib. 12.* ejus mentionem facit, & duodecim cubitorum esse adjicit. Coronidis loco adjicio, in Ieilan insulæ fluvio piscem esse, quem si quis manu capiat, continuo febre corripitur; amisso, liberatur. Hinc Scaliger Februm vocat. *Ex. 218. f. 6.*



T H A U -